

*prima priorum Analyticorum* ὡς γενέσεως τῶν συλλογισμῶν  
*parte, tum etiam in ultima ejusdem libri sectione, in qua ὡς ἀνα-*  
*λύσεως τῶν συλλογισμῶν agit.* Conf. Rudolphus Faber in  
Corp. Logic. Peripat. I. Prior. p. 331. 332.

XVII. Verum enim verò cum in peripato de alio  
quæritur, illi respondent de cepis. Etenim Aristoteles Syllō-  
gismorum conjunctorum sive compositorum, quorum vel u-  
traque vel saltem alterutra præmissarum est propositio con-  
juncta sive composita. h. e. vel conditionalis, vel disjunctiva,  
vel copulativa, in Analyticis non habuit rationem, sed  
tantum leve eorum indicium in Dialecticis fecit, &  
quidem libr. II. & III. Topicorum, ubi de antecedentibus &  
consequentibus, iisque quæ comparationem ad se invicem  
habent, egit, eorum verò ratio primùm tradita fuit à Theo-  
phrasto & Eudemo, eamque Stoici quàm maximè sunt secuti;  
ceu apparet apud Diogenem Laërtium in vita Zenonis  
Cittieii. Johannes quoque Philoponus quæ de hoc Syllōgi-  
smorum genere tradi solent, breviter collegit in Comment.  
ad I. Prior. XXII. nec non eorum rationem attigit Anitius  
Manlius Severinus Boëtius de Syllogismo hypothetico, nec  
non de Differ. Topicis. lib. II. p. m. 45. edit. Wegelin. & lib. V.  
Commentar. in Topica Ciceronis, nec non Nicephorus Blem-  
mides Epit. Log. cap. XXXVI. Gregorius Aneponymus in  
Syntagm. Philosoph. cap. XIV. Georgius Pachymerius in  
Epitom. Logic. Arist. Tit. IV. cap. VII. Isidorus Hispalensis  
libr. II. Origin. cap. XXIIIX. circa fin. Marius Victorinus de  
Syllogismo hypothet. Marianus Capella de Nupt. Philol. &  
Philos. libr. IV. part. II. p. 131. & alii.

XIIX. Quemadmodum igitur compositi Syllōgi-  
smi juxta Aristotelem longè aliâ ratione sunt spectandi, quàm  
qui vulgò istò venire solent nomine, ita & Syllōgismus ἐξ  
ὑποθέσεως concludens ipsi non est ejusmodi collectio, quæ ex  
una alterâve conjuncta propositione instituitur, sed is deno-  
tat